possent, et quia nobis Maria ipsa loquendi facultatem cupit audiamus ipsam pulchrae dilectionis Matrem quae his vocibus nos adeo invitat: Transite inquit ad me omnes qui concupiscitis me, cur filii ad Matrem festinare tardatis? habeant sibi qui Mariam habere nolunt suas novercas, quae vos facilius incautos decipiant matris larvam praetendunt, vos vero qui praeter meos amores nullos novistis transite ad me omnes, ego omnium me amantium nectar suavissimum, quid dulcius? transite ego sum Regina Imperatrix Coelorum, quid maius? transite, ego peccatorum mater sperantium me refugium salus pereuntium, afflictorum solatium tibi omnia voluptas quid blandius? transite en sinum aperio currite in amplexus meos Maria invitat, ad me confugite recipiam, me invocante adero, reos non recuso, supplices non repello, amantes non respuo transite, quid voluptatum illecebrae? quid vanitatis somnia? quid mundi gaudia sine Maria? transite iustos scelestos, amantes, hostes, fidos perfidos omnes amat Maria, transite qui concupiscitis me omnes transite.

Habita est infra Octavam Assumpt. anno 1660
Scripsi. a F. Caelestino